

De inscriptione Imbria versibus inclusa.

Frequentissimum fuisse tetrapodiae iambo-anapaesticae usum in formulis carminibusque liturgicis quae dicimus egregie demonstravit H. Usener in aureo illo quem de arte Graecorum metrica conscripsit libello. Sed frustra inter largam exemplorum p. 80 sq. 87 sq. compositorum copiam inscriptionem quandam alterius p. Chr. n. saeculi quaesivi satis si quid video memorabilem, ad Cabirorum mysteria Imbria illam pertinentem (cf. Conze, 'Reise auf den Inseln des thrakischen Meeres' p. 91, tab. XV 9; C. Keil, Philol. supplem. II [1863] p. 599 sqq.). Cuius haec sunt verba:

θεοὶ μεγάλοι, θεοὶ δυνατοὶ,
ἰσχυροὶ (sic) καὶ Κασμεῖλε ἀναξ,
Πατ(αικ)οὶ¹ Κοῖος, Κρεῖος,
Ἵπερείων, Εἰαπετὸς, Κρόνος —.

hoc diagrammate depingenda:

¹ Incertum Keilii supplementum, (ύ)πατοί Welcker, πατ(ρι)οί Michaelis.



υ "	υυ /	υ "	υυ /
- "	- /	- "	υυ /
υ "	- /	- "	ϑ
υυ "	- /	υυ "	υ /

Vincto sermone haec indigitamenta concepta esse neque Keilius cognovit neque qui in hoc litterarum genere habitat G. Kaibelius; certe in sylloge eius desiderantur. Sed manifesta res est, modo in popularibus his versibus, qui logaoedis sunt cognati, anapaestum non solum cum spondio, sed etiam cum iambo mutari posse teneris; nam haec eorum est lex, ut quattuor θέσεις vel syllabae longae ictu percussae consociantur, cum ἄρσεις vel elationes leves certo nullo contineantur schemate neque omitti non possint sub finem potissimum membrorum et periodorum (cf. v. 3). Atque ipsum eum qui verba ista incidenda curavit versus dare voluisse vel eo confirmari videtur, quod v. 2 ἰσχυροὶ scripsit ρ littera geminata; quamquam huius quidem rei exempla varia con-gessit Keilius l. s. s. p. 604 sq. Ceterum in Cabirorum mysteriis tales carminum modulos antiquitus traditos esse indigitamentorum Samothraciorum frustula testantur a Mnasea servata schol. Apoll. Rhod. I 917: ἀξίερος¹ Ἀξιόκερσα, Ἀξιόκερσος. Nam ut priora illa nomina tetrapodiam catalecticam efficiunt, ita omnia certo quodam motu rhythmico incedunt.

¹ Quod vereor ut recte ἄξι' Ἔπος interpretati sint: cf. 'Allg. Encykkl.' s. v. 'Kabiren' II, T XXII 22²⁵; 'Beitr. z. Mythol.' p. 26².